



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XVII. Quòd omnis sollicitudo, in Deo statuenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XVII.

*Quòd omnis sollicitudo, in Deo
statuenda sit.*

FILI, sine me tecum agere, quod
volo: ego scio, quid expedit ti-
bi. Tu cogitas, vt homo: Tu sentis in
multis, sicut humanus suadet affectus.
Domine, verum est quod dicis. Ma- *Mat. 6.*
ior est sollicitudo tua, pro me, quàm *Joã. 6.*
omnis cura, quam ego gerere possum
pro me. Nimis enim casualiter stat,
qui non proiicit omnem sollicitudi-
nem suam in te. Domine, dummodò
voluntas mea recta & firma ad te per-
maneat, fac de me, quidquid tibi pla-
cuerit. Non enim potest esse nisi bo-
num, quidquid de me feceris.

2 Si me vis esse in tenebris, sis be-
nedictus: & si me vis esse in luce, sis
iterùm benedictus. Si me dignaris
consolari, sis benedictus: & si me vis
tribulari, sis æquè semper benedictus.
Fili, sic oportet te stare, si mecum de-
sideras ambulare. Ita promptus esse
debes ad patiendum, sicut ad gau-
dendum. Ita libenter debes esse inops
&

& pauper, sicut plenus & diues.

Iob 2. 3 Domine, libenter patiar pro te, quidquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua, bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipere: & pro omnibus mihi contingentibus, gratias agere. *Pf. 22.* Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum; Dummodò in eternum me non proicias, nec deleas de libro vitæ: non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis super me.

CAP. XVIII.

Quòd temporales miseria, exemplo Christi, equanimiter sunt ferendæ.

Ioan. 3. **F**ILI, ego descendi de celo, pro tua salute: suscepi tuas miseras, non necessitate, sed charitate trahente: vt patientiam disceres, & temporales miseras non indignanter ferres. *Luce 2.* Nam ab hora ortus mei, vsque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium, magnum habui: multas querimonias